

26. Accessit dispositio Concilii Tridentini in *sess. 22. c. 11. De Ref.* in qua decernitur pœna excommunicationis Romano Pontifici reservatæ contra usurpatores quorumcumque bonorum ecclesiasticorum. Porro, cum emptores acquirendo scienter bona usurpata actione sua concurrant cum ipsis usurpatoribus saltem quatenus perpetuent usurpationem, dici optimo jure potest ipsos etiam emptores eadem censura ligari, præsertim cum verba Concilii amplissima sint ut sanctio sese extendat etiam ad eos qui impediunt quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, quominus bonorum usurpatorum fructus ab iis percipiantur ad quos jure pertinent. Hæc autem conclusio confirmatur ex responsione S. Congr. Supr. Univers. Inquisitionis quam inferius referemus.

27. Præ oculis etiam haberi debet nuperrima Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis IV. Idus Octobris 1869.* In hac constitutione inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas sub *n. 11.* decernitur excommunicatio contra usurpatores, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, et redditus ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum. Præterea inter excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatas sub *n. 3.* decernitur excommunicatio contra alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam extravagantis *Ambitiosæ De Reb. Eccles. non alienand.*

Hæc sanctio, uti patet, directe respicit alienationes bonorum quæ fiant absque licentia Sedis Apostolicæ ab ipsis administratoribus, seu a rectoribus Ecclesiarum vel Beneficiorum. Solemnitas enim Beneplaciti Apostolici juxta jus canonicum antiquum constituta fuit ad procurandam tutelam, et utilitatem Ecclesiarum in alienationibus quæ antea fiebant a Prælatibus cum consensu capituli.

28. Insuper præstat referre responsionem S. Congregationis S. Officii datam *die 23. Aprilis 1873.* Siquidem interroganti Episcopo Augustano: 'An excommunicationem incurrant illi qui sine debita licentia acquirunt per contractum bona ecclesiastica a primis emptoribus qui illa a gubernio usurpatore acceperunt'. S. Congregatio respondit 'Affirmative' et ad mentem. Mens autem hæc fuit. Præscindendo etiam a quæstione, utrum isti incidant sub dispositionem art. XI. Const. *Apostolicæ Sedis*, tamen dubitari nequit istos emptores comprehendere sub censura Concilii Tridentini

sess. 22. c. 11. quæ juxta eandem Constitutionem manet cum aliis censuris ab eodem Concilio latis.

29. Ut autem conscientis fidelium consuleretur, pro temporum circumstantiis adoptata fuerunt ab Ecclesia opportuna remedia. Et quidem post rerum publicarum eversionem quæ sub finem elapsi sæculi et sub initium præsentis in variis Europæ regionibus contigit, S. Sedes per concordata cum Guberniis civilibus, et per subsequentes declarationes providit fidelibus qui bona usurpata a civili potestate acquisiverunt.

Quare praxis inducta est ut si recurrerent emptores illorum bonorum quæ comprehensa sunt in Concordato vel in authentica declaratione S. Sedis, provideretur per declaratoriam et hortatoriam. Per hanc formulam S. Sedes declarat bona empta retineri posse a possessoribus ceu propria, de iisque libere disponere posse, hortatur vero eosdem possessores, ut onera, si quæ sint adnexa bonis, adimpleant.

30. Quod si ageretur de ecclesiasticis bonis non comprehensis in concordatis et declarationibus S. Sedis servata regula est ut oratoribus recurrentibus concederetur absolutio a censuris, simulque daretur facultas bona acquisita retinendi sub conditionibus 1º. standi mandatis S. Sedis desuper ferendis; 2º. adimplendi pia onera bonis adnexa, et 3º. certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus susceptis.

Quoniam vero conditio bonorum ecclesiasticorum, quæ a civilibus guberniis usurpata, et alienata fuerunt sub finem elapsi, aut sub initium labentis sæculi, diu suspensa manere non poterat, cumque observantia prædictarum obligationum non paucas conscientiarum angustias gignere poterat, hinc factum est ut fideles recurrentes ad S. Sedem regulariter admitterentur ad compositionem. Porro compositio in eo consistit ut soluta aliqua discreta summa pecuniæ omnibus inspectis circumstantiis taxanda, concedatur possessoribus facultas retinendi bona acquisita in pleno dominio cum jure de iis libere disponendi.

31. Nunc in specie agendum est de acquisitione bonorum ecclesiasticorum, quæ a gubernio civili nostra ætate occupata fuerunt, et alienata. — Quoad acquisitionem istorum bonorum præter generales dispositiones canonicas superius allatas, habemus etiam publicas protestationes pluries emissas a Summo Pontifice Pio IX. s. mem. quibus declaratum solemniter est, S. Sedem reprobare usur-

pationes bonorum Ecclesiae a civili gubernio in Italia peractas et eorundem bonorum alienationes.

32. Verum ut tranquillitati conscientiae fidelium consuleretur, factum est, ut regula designaretur tum quoad acquisitiones faciendas cum venia S. Sedis tum quoad acquisitiones jam peractas sine eadem venia. Regula hujusmodi, approbante Summo Pontifice, constituta fuit a S. Pœnitentiaria Apostolica cui a Summo Pontifice de hac materia tractandi munus præcipue commissum est. Et primo quidem quoad acquisitiones faciendas legitima causa interveniente, concedi a S. Pœnitentiaria solet facultas acquirendi bona a gubernio civili occupata sub quinque conditionibus. Porro hæc facultas conceditur per rescriptum in forma commissaria ab ordinario loci, ubi bona acquirenda existunt, exequendum. Et quidem regulariter exigitur prævia ipsius ordinarii informatio, et votum. Dixi regulariter: nam si tempus urgeat, nec possit ordinarius audiri, facultas conceditur ordinario permittendi contractum emptionis quatenus ita in Domino expedire judicaverit.

33. Condiciones autem sunt: 1°. Retinendi bona ad nutum Ecclesiae, ejusque mandatis subinde parendi. 2°. Conservandi eadem bona, ac in eis rem utilem gerendi. 3°. Satisfaciendi piis oneribus, si quæ dictis bonis adnexa sint, et erogandi redditus eorundem bonorum, qui, facta proportione, excedant solutum pretium, vel in favorem personarum, aut locorum piorum ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor illud repetere velit, prout ordinarius judicaverit. 4°. Solvendi pretium emptionis annuis ratis juxta privilegium a lege civili concessum. 5°. Certiorandi hæredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham subscriptam ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

34. Ut autem istæ conditiones intelligantur quædam animadversiones faciendæ sunt. Et primo quidem emptor suscipit onus conservandi bona. Quare sine venia Sedis Apostolicæ non potest emptor hæc bona alienare. 2°. In tertia conditione agitur de adimplendis piis oneribus. Jamvero circa hanc conditionem duo sunt animadvertenda: 1°. Mens S. Pœnitentiariæ est, ut possessor bonorum teneatur onera pia adnexa adimplere solummodo quando aliunde non adimpleantur. Quare possessor pia onera adimplere debet in subsidium aliorum, et per consequens ab omni obligatione eximitur quoties vel gubernium satisfactioni onerum sufficienter

proverit, vel rectores Ecclesiarum aut beneficiorum ad quæ bona pertinent, præsertim in casu conversionis eorundem bonorum in redditus publici ærarii, teneantur oneribus satisfacere. 2°. Si omnes redditus bonorum vel eorum major pars ex lege foundationis eroganda sit in satisfactionem onerum ex. gr. in Missarum celebrationem, salvi semper esse debent possessori eorundem bonorum annui fructus pecuniæ solutæ in emptione ad rationem quinque pro quolibet centenariis, et residua pars reddituum eroganda est in satisfactionem piorum onerum.

35. Præterea sciendum est S. Pœnitentiariam ex expressa Apostolica auctoritate ordinariis petentibus ad annum duraturas sequentes facultates concedere, quibus sive per se, sive per aliam idoneam personam ecclesiasticam ab iis ad hoc specialiter deputandam licite, et libere uti valeant: 1°. Indulgendi christifidelibus, ut res annonarias, fructus terræ, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas ad Ecclesias, aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatis acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua elemosyna favore præsertim Ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsæ spectabant, ab ordinario, sive a confessario taxanda, quatenus emerint pretio quod judicio ordinarii, aut confessarii fuerit minus justo: ita tamen ut, si agatur de rebus quæ non sunt usu consumptibiles, sive quæ servando servari possunt, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque Ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio, restituere, et curando pro viribus, ut suppellectiles, vasa, ac utensilia sacra in usum aliarum Ecclesiarum seu oratoriorum transferantur nec in usus profanos assumantur.

2°. Providendi sub iisdem conditionibus, et prævia eorum absolute cum congrua pœnitentia salutari iis, qui easdem res jam emerint, excepto tamen casu in quo res emptæ superent valorem quingentorum scutorum.

36. 3°. Similiter facultatem ad annum duraturam concedit indulgendi iisdem christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio usurpata conducere, seu jam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua elemosyna favore personarum seu Ecclesiarum ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerint pretio, quod judicio ordinarii seu confessarii fuerit minus justo, et obligatione faciendi quantum poterunt sub ordinarii directione pro conservatione

præsertim sacrarum ædium ac templorum, quæ iisdem bonis fuerint adnexa, ac prævia absolute cum pœnitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, necnon remoto, et reparato scandalo.

Quamvis autem optandum maxime sit ut hujusmodi conductiones ad breve tempus fiant tamen S. Pœnitentiaria declarat, non obstare, quod, sic jubente Gubernio, conductio fiat ultra triennium, cum hujusmodi conductionis contractus sit ipso jure nullus, et indultum Apostolicum concedatur conductori tantum pro suæ conscientie tranquillitate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile.

37. Quoad vero facultatem recipiendi in emphyteusim bona ecclesiastica a Gubernio usurpata, nec non redimendi canones emphyteuticos, vel census aut alias præstationes quæ impositæ sunt bonis ad familias privatas pertinentibus juxta praxim nuperrime inductam, recurrendum est ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

38. Modo aliquid dicendum de acquisitionibus bonorum ecclesiasticorum immobilium, et redemptionibus canonum, censuum et aliarum præstationum jam peractis absque venia S. Sedis.

Ut consuleretur conscientis fidelium datæ sunt locorum ordinariis literæ a S. Pœnitentiaria die 1. Junii 1869 in quibus peculiare facultates concessæ fuerunt sub quibusdam conditionibus ut perdurarent tempore Jubilæi indicti per literas Apostolicas diei 11. Aprilis ejusdem anni. Quare, cessante Jubilæo, hujusmodi etiam facultates illæ cessarunt. Attamen S. Pœnitentiaria christifidelibus recurrentibus post acquisitionem bonorum ecclesiasticorum immobilium, aut post redemptionem canonum etc. initam cum Gubernio absque venia S. Sedis, solet ordinariis concedere facultatem in singulis casibus absolvendi oratores qui ad eandem S. Pœnitentiariam recurrunt, et iisdem indulgendi ut bona vel acquisita vel redempta retineant sub conditionibus designatis in iisdem literis diei 1. Junii 1869.

39. Videlicet emptores sine venia juxta præscriptionem ipsarum literarum sub *n. 4.* debent per syngrapham subscriptam vel coram testibus subsignatam in curia episcopali custodiendam, acceptare sequentes conditiones:

1°. Retinendi bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.

3°. Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.

4°. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis seu locis piis ad quæ de jure pertinent.

5°. Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

40. Circa istas conditiones juxta praxim S. Pœnitentiariæ animadvertendum est 1°. etiam istos emptores teneri ad onera pia adimplenda solummodo quando aliunde non adimpleantur; 2°. quantitatem subventionis, de qua in quarta conditione, determinandam esse judicio prudentium personarum, et præsertim Ordinarii, vel Confessarii, omnibus inspectis circumstantiis; 3°. ne causæ piæ ditiores fiant aliena jactura in casu restitutionis bonorum salvam esse posse possessori compensationem utilium meliorationum in bonis peractarum judicio peritorum virorum taxandam habita præ oculis regula forensi 'quod minus est inter impensum et melioratum'. Videlicet causa pia solvere debet pecuniæ summam respondentem expensis factis a possessore, si expensæ hujusmodi minores sint meliorationum valore, et viceversa.

Quod si possessor bonorum acquisite a Gubernio eadem absque venia S. Sedis alienaverit, S. Pœnitentiaria facultatem concedit in singulis casibus absolvendi oratores a censuris sub sequente conditione expressa in citatis literis sub *n. 5.* videlicet: 'Deposito lucro exinde injuste percepto in manibus ordinarii ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, quæ damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriæ consulant conscientie, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis'.

41. Si sermo sit de Christifidelibus, qui bona ecclesiastica a Gubernio in emphyteusim sine venia S. Sedis receperunt, S. Pœnitentiaria in singulis casibus providit, ut supra, sub sequentibus conditionibus expressis in iisdem literis sub *n. 8.*: 1°. Conservandi bona, et in eis rem utilem gerendi. 2°. Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad canonis affrangementem. 3°. Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis parendi quoad eorundem bonorum restitutionem. 4°. Adimplendi pia onera eisdem bonis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur. 5°. Solvendi annum canonem, illumque augendi ad tramites justitiæ et juxta æstimationem peritorum timoratæ conscientie, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.

6°. Monendi hæredes, et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

42. Quid vero dicendum, si Christifideles non solum receperunt a Gubernio bona ecclesiastica in emphyteusim, sed etiam eadem bona redimere absque venia S. Sedis non dubitarunt?

Sacra Pœnitentiaria juxta cit. literas *diei 1. Junii 1869 sub n. 9.* solet providere sub iisdem conditionibus quæ in iisdem literis *diei 1. Junii 1869* referuntur in *n. 4.* quas supra exposuimus quoad emptores bonorum sine venia Sedis Apostolicæ. Si agatur de Christifidelibus qui privato arbitrio redemptionem peregerint censuum, et aliorum jurium ecclesiasticorum de natura sua redimibilia S. Pœnitentiaria easdem per medium ordinarii juxta præfatas literas *sub n. 10.* absolvit, dummodo prius in manibus ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint ad effectum illud conservandi favore locorum piorum, ad quæ census seu jura redempta pertinebant.

43. Tandem si agatur de canone, vel aliis præstationibus de natura sua non redimibilibus, redemptis absque licentia S. Sedis, S. Pœnitentiaria facultatem ordinariis concedit in singulis casibus fideles absolvendi sub conditionibus expressis in cit. literis *diei 1. Junii 1869 sub n. 11.* idest

1°. Retinendi fundos sic invalide affractus ad nutum Ecclesiæ ejusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi eadem bona et rem utilem in eis gerendi.

3°. Servandi indemnitas quocumque tempore loca pia super integra perceptione canonis, libelli ac præstationis, ac super quibusvis aliis juribus quæ ad ipsa loca pia subinde spectabant, necnon adimplendi prout de jure pia onera fundis adnexa quatenus aliunde non adimpleantur.

4°. Monendi hæredes, et successores per syngrapham subscriptam, de hujusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.

44. Animadvertimus vero expositas conditiones ordinarie imponi Christifidelibus recurrentibus ad S. Pœnitentiariam: at hoc non prohibere quominus ob peculiare circumstantias ab ordinariis in informatione recognitas, eadem S. Pœnitentiaria speciale aliquod rescriptum concedat, in quo ex expressa Summi Pontificis approbatione ab expositis conditionibus recedat, et mitiorem normam adoptet. Quare unaquæque Curia Episcopalis omnia fideliter, et

accurate in suis literis testimonialibus exponere debet, ut S. Sedes singulorum oratorum casui rite providere, et remedium magis minusque benignum adoptare valeat.

45. Ut vero conscientiam fidelium censuris illaqueatæ citius consulatur S. Pœnitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate in hodierna praxi solet ordinariis petentibus concedere indultum ad annum duraturum quo iisdem facultas tribuitur sive per se, sive per alias idoneas personas ecclesiasticas singulis vicibus deputandas intra fines suæ dioceseos Christifideles sibi subiectos, qui in casus expressos in literis *diei 1. Jun. 1869 sub n. 4. 5. 9. 10. et 11.* incurrerint, et humiliter absolvi petierint, absolventi, impositis unicuique conditionibus respectivis cum congrua pœnitentia salutari, et obligatione reparandi scandalum meliori modo quo possit fieri et caute monendi socios, ut et ipsi conscientiam suam consulant. Prohibentur vero Ordinarii quominus conditiones in iisdem literis expressas mutant, aut modificent, et iisdem præscribitur, ut si speciales circumstantiæ exigant mutationes vel modificationem conditionum rem deferant ad eandem S. Pœnitentiariam.

Quinam vero sint casus comprehensi sub cit. numeris literarum *diei 1. Junii 1869* de quibus sermo est in indulto, jam supra exposuimus. Sunt vero 1°. casus emptorum sine venia; 2°. emptorum qui bona empta alienarunt; 3°. fidelium qui bona in emphyteusim receperunt a Gubernio et simul affregerunt canonem; 4°. fidelium qui affregerunt census, et alias præstationes redimibiles; 5°. fidelium qui affregerunt canones, et alias præstationes de natura perpetuas, et irredimibiles.

TITULUS XVIII.

De locato et conducto.

1. Locatio-Conductio est 'contractus bonæ fidei solo consensu initus, quo usus, vel fructus rei, aut opera personæ conceditur pro certo pretio, vel pro mercede'.

Qui promittit usum aut fructum aut operam ut recipiat pretium vel mercedem dicitur locator; qui pretium promittit aut mercedem ut persentiat commodum rei aut operæ dicitur conductor vel locatarius. Objectum hujus contractus est triplex: 1°. usus si agatur de re, quæ non fructum, sed usum præstare potest ex. gr. domus. 2°. Fructus si concedatur prædium frugiferum ex. gr. hortus,